



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 1. Finis Operis & Operantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

*§. 1. Finis Operis & Operantis.*

**F**inis Operis est id, ad quod res aliqua ex sua natura servit & conducit; ut doctrina respectu studii: nam studium ex natura sua valet ad comparandam doctrinam: Finis Operantis est id, propter quod aliquis operatur: ut cum quis diligenter studet ad assequendam doctrinam: fieri potest, ut Finis operans sit ipsa doctrina. Ex quo igitur etiam exemplo vides eundem esse posse & finem Operis, & Operantis: sed possunt etiam hi Fines admodum diversi esse: veluti cum quis oleum effundit in incendium, putans esse aquam, Finis Operantis est restrictio incendii (id enim Operis intendit istâ suâ actione incendium ut restinguatur) Finis autem Operis est augmentum incendii: opus enim illud, quod ibi fit, ex naturâ suâ intendit ad augendum incendium. Sic etiam tract. 1. de adminiculo Humilitatis satis patet felicitatem Virtuti esse Finem Operis (valet enim ac sola Virtus ad felicitatem conferendam ex naturâ suâ) sed non esse Finem Operantis (vir bonus enim propter felicitatem non operatur, sed propter suam Obligationem.

Hac ergo distinctione interpositâ, mul-  
tæ

tas trice expediuntur in verâ illâ & solidâ  
sententiâ, quam ibi tradidimus: quæque  
ex sacris literis à quibusdam non bene eas  
intelligentibus objiciuntur, hac distinctio-  
ne adhibita, facile solvuntur.

Inter hos Fines præcellere videtur Fi-  
nis operis: hic enim à naturâ seu Deo con-  
stitutus est: Finis vero Operantis consti-  
tuitur à nobis: unde & res nunquam fru-  
strantur Fine operis (ultimo scil. & hic  
proprie tantum Finis est) sæpe autem fru-  
strantur Fine Operantis: ut cum studetur  
ad doctrinam consequendam vel gloriam,  
sæpe & doctrinâ pariter & gloriâ frustra-  
mur: Finis autem ultimus operis rerum  
omnium est Deus: omnia enim sunt &  
fiunt ejus gratiâ. (Ut infra videbimus)  
hoc autem Fine res nulla frustratur. Im-  
possibile est enim fieri aliquid, quod in  
ejus gratiam, gloriam & satisfactionem  
non cedat.

*§. 2. Finis Cujus & Cui.*

Finis Cujus est, id, ad quod assequen-  
dum adhibentur Media. Finis Cui est  
id, in Cujus gratiam adhibentur Media.  
V. G. cum quis diligenter studet, Finis  
Cujus est doctrina, Finis Cui est ipse stu-  
dens,